

externum offertur, quod, ut immobile movens, per sensus externos & communem receptum phantasiae communicatur, atque ab ea, quid sit, cognoscitur. Deinde attentius & accuratius, ut commodum sit & gratum, vel noxium & ingratum, cognoscitur. Cognitionem hanc sequitur amor vel odium, seu appetitus rem gratam & delectabilem apprehendendi, noxiam verò fugiendi. Non enim frustra movetur animal, sed ab objecto, ut fine, & bono appetitus incitatur. Appetitum in animalibus brutis mox motus sequitur, virtusq; movens motum ab appetitu imperatum & injunctum statim in actum producit & exequitur. In homine verò antequam fiat motus, quaedam adhuc intercedunt. Appetitus & hæ sensuum internorum motiones menti offeruntur, ut ab ea reprobentur, vel approbentur. Si approbantur, & rectam esse sensuum appetitionem mens intelligit, statim motus sequitur: si verò, ut falsa, rejicitur, contentio & pugna oritur inter appetitum, sensitivum & rationalem, donec alter alterum vincat; atque ille, qui vincit, motus est principium, facultatiq; motrici motum imperat. Facultas motrix, omnibus totius corporis musculis insita, eos, quibus opus est, musculos contrahit: Musculi contracti tendines attrahunt: tendines attracti ossa: denique ossibus motis membrum,

vel totum corpus de loco in locum transfertur.

Hoc loco nonnulli quærunt; Quodnam motus instrumentum sit. Nos in genere illud musculus esse statuimus: unde etiam vulgò definitur, esse organum spontaneum motus. Quanquam enim quidam anxie disquirant, quænam in musculo pars præcipuum motus instrumentum sit, an nervus, an tendo, an caro: non adeò necessariò id facere videntur. Nam, ut est apud Aristotelem, 2. de part. an. c. 1. ἢ μὲν αἰσθησις ἐν ταῖς ὁμοιοπέσι; αἱ δὲ πράξεις διὰ τῶν ἀνομοιομερῶν ὑπάρχουσι τοῖς ζώοις, id est, vis sentiendi in similaribus sita est: actiones autem per dissimilares administrantur.

Etsi autem quatuor motus musculorum sunt differentia, dum vel contrahuntur musculi, vel extenduntur, vel transferuntur, vel tensi manent, ut Galenus, lib. 1. de motu muscul. c. 8. docet: tamen contractio, qua musculus caput versus, & ad proprium principium trahitur, propria ejus est actio, qua partes, quocunq; opus est, flectuntur. Extensio & ipsa quidem necessaria est: verum proxima motus causa non est; & passio potius, quam actio est. Dum enim contractus musculus extenditur, ab alio patitur, non ipse id agit. Ad contractionem pertinet & tonicus motus, in quo musculorum villi tensi manent. In quo licet quies quaedam videatur: tamen revera in quiete illa musculi

Q

agunt,